



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Complectens Constitutiones Benedicti XIV. ab Anno 1752. usque ad
Annum 1757 - Cum Appendice ad Annos 1744. 1745. 1748

Luxemburgi, 1758

XVIII. Venetiarum Reipublicæ conceditur Jus nominandi: ad Ecclesias
Torcellanam, Caprularum, & Clodiensem. 13. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74789](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74789)

1753

1753

Constitutionibus, & Ordinationibus; nec non quarumcumque Ecclesiarum, seu Ordinum, Congregationum, & Institutum, etiam specialiter exprimentorum, quantumvis juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, exemptionibus, & Indultis, etiam in corpore juris clausis, aut sub quibusvis formis, & verborum tenoribus, seu clausulis, & decretis, etiam derogatoriarum derogatoriis, & irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & de Apostolica potestate plenitudine, seu consistorialiter, aut ad Regum, aliorumque Supremorum Principum instantiam, vel peculiarium quorumcumque meritorum intuitu, aliove titulo, etiam oneroso, quibuscumque personis, Collegiis, Locis, Ordinibus etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, vel Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, ac plurius confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus & singulis, eorum tenores, formas, causas, & occasiones praesentibus pro expressis, insertis, & specificatis habentes, pari modo, & Apostolica auctoritate plenitudine ad praemissorum effectum plenissime derogamus, eaque respective, quantum praesentibus adversantur, de medio tollimus & abolemus per praesentes. Quarum Transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eandem fidem ubique Locorum & gentium, in iudicio, & extra, haberi volumus, quae eisdem praesentibus haberetur, si originaliter exhiberentur.

Transumptum fides.

Sanctio.

§. 5. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc Nostrarum Confirmationis, Declarationum, Decretorum, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Dat. die 9. Junii 1753. Pont. XIII.

Pro D. Card. Pessione
J. Florius Substitutus.

J. Datarius.

VISA
De Curia J. C. Boschi.

L. Eugenius.

XVIII.

Venetiarum Reipublicae conceditur Jus nominandi ad Ecclesias Torcellanam, Caprularum, & Clodiensem.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI.

Ad perpetuam rei memoriam.

Exordium.

SINCERITAS Fidei, & devotionis affectus, quibus dilecti Filii Nobiles Viri Dux & Respublica Venetiarum erga Catholicam Religionem, & Ecclesiam Romanam omni tempore se se conspicuos praestiterunt, quibusque recentia zeli ac pietatis sua argumenta, non sine filialis in Nos observantiae, significationibus, addiderunt; Nos quodammodo impellunt, ut ea ipsis favorabiliter concedamus,

quae ab Ecclesiarum utilitate, quemadmodum pro certo confidimus, minime sejuncta, ad meritum eorundem honoris augmentum pertinere, & publicis eorum votis salubriter respondere conspiciamus.

§. 1. Cum itaque ipsi, quibus ex Apostolico sel. rec. Praedecessoris Nostri Pii Papae IV. Indulto, cui non est haecenus in aliquo derogatum, & ex antiqua consuetudine, jus competit, ad Patriarchalem Ecclesiam Venetiarum, quoties illam vacare contingat, nominandi & praesentandi Nobis & Romano Pontifici pro tempore existenti Personam idoneam, per Nos, seu per Romanum Pontificem hujusmodi, ad eandem Patriarchalem Ecclesiam pro tempore etiam promovendam, eique praeficiendam, Nobis humiliter, & enixe supplicari fecerint, ut Indultum etiam nominandi ad tres infra scriptas Cathedrales Ecclesias, Torcellanam nempe, Caprularum, & Clodiensem, in earum vacationum casibus, futuros illarum respective Episcopos, ipsis concedere dignaremur.

§. 2. Nos attendentes, pro eo quod pertinet ad primordiam Torcellanam Ecclesiam, quod olim destructa Altineni Civitate, ejusque Episcopali Cathedra, & Sede Torcellum translata, nova Cathedralis Ecclesia ibi per bo. mem. Petrum tunc Venetiarum Ducem aedificata, ac etiam Episcopo ibidem de congrua habitatione provisum fuit; alterius vero, Caprularum videlicet, Ecclesiae initia ex eo derivari, quod olim existens Concordiensis Episcopus Joannes nomine a sua Civitate profugus, propterea quod schismati adherere noller, in eo Oppido exceptus, Episcopalis Sedis ibidem statuendae commodum obtinuerit; ac demum, quod spectat ad Clodiensem Ecclesiam, hujus constitutionem praecipue acceptam referri bo. mem. Ordelato Faletrio Venetiarum pariter Duci, cujus favore & auxilio factum est, ut, quum Insula Metamauci, vulgo *Malamocco*, marinis fluctibus submersa fuerit, illius quondam Episcopus in Flosa Clodia consistere, ibique Episcopalem Sedem stabilire potuerit.

§. 3. Cumque etiam debita consideratione pensare non omiserimus, quod paucis abhinc mensibus, quum quidam schismaticus Papas Simon Conzacovich nuncupatus, a schismatico Graecorum Pseudo-Patriarcha in Dalmatiam missus fuisset, ut ibi Sedem figeret; id quod, si forte evenisset, in magnam Sanctae Catholicae Religionis nostrae perniciem, & grave Apostolicae Sedis praedictae, cum intolerabili Latinorum Episcoporum perturbatione cessisset, quemadmodum Nos praedicto Duci & Senatoribus, tum a dilecto Filio Nobili Viro Petro Andrea Cappello Equite ejusdem Reipublicae apud Nos & Apostolicam Sedem Oratore; tum etiam a Venerabili Fratre Archiepiscopo Chalcedonensi, Nostro & ejusdem Sedis Nuntio apud ipsam Venetam Rempublicam constituto, representari curavimus; publico ac solemniter Senatus Decreto, eidem schismatico Pseudo-Pastori denunciatum fuit, ut a praedictis Dalmatiae Regionibus sine mora abscederet.

§. 4. His omnibus mature perpensis, ac etiam Paterna Nos impellente affectione, qua eandem inclytam Venetorum Rempublicam ex animo prosequimur; praedictorum singulares personas a quibusvis excommunicationis &c. ad effectum &c. censentes; praesentium Litterarum tenore, ac de Apostolica auctoritate plenitudine, non modo praefatum jus nominandi, & praesentandi ad Patriarchalem Venetiarum Ecclesiam pro tempore vacantem, prout aliis per dictum Pium IV. Praedecessorem eisdem Duci & Reipublicae concessum fuit, confirmamus & innovamus; verum etiam eisdem, in sinceritate Fidei, & dictae Romanae Ecclesiae devotione persistentibus,

Jus nominandi ad Ecclesiam Patriarchalem Venetiarum Duci & Reipublicae concessum a Pio IV.

Indultum hujusmodi petitur pro tribus Ecclesiis Patriarchae Suffraganeis.

Venerorum Ducum & Reipublicae antiqua merita in eadem Ecclesia.

Idem nuper, intate Pont. Catholicae Religionis indemnitati in Dalmatia consuluerunt

Confirmatur Indultum Pii V. pro Ecclesia Patriarchali Venet.

Et novam conceditur quod tres praedictas Cathedr. Ecclesias.

ut,

ut, quando & quoties prædictas tres Ecclesias Torcellanam videlicet, Caprularum, & Clodiensem, seu earum quamlibet quocumque vacationis modo, præterquam per obitum cujuslibet earum Episcopi in Romana Curia, vacare, seu Pastore ac Præsule orbari contigerit; toties perpetuis futuris temporibus jus habeant nominandi Nobis, & Romano Pontifici pro tempore existenti idoneam Personam Ecclesiasticam ad unamquamque Ecclesiam hujusmodi respectivè promovendam, eique præficiendam, concedimus & indulgemus, ac nominationes hujusmodi idonearum Personarum Ecclesiasticarum, per Nos, & Romanum Pontificem pro tempore existentem, acceptandas fore, & ad effectum perducendum decernimus, servatis omnibus servari solitis, ac mediante propositione in Consistorio Secreto, & Litterarum Apostolicarum expeditione in forma consueta; volentes hujus novi juris exercitium a nominatione ad Ecclesiam Cathedralis Clodiensem, quæ ab aliquo jam tempore Pastoris solatio destituta est, per eisdem Ducem, & Republicam faciendam de idonea Persona Ecclesiastica, ut præfertur, ad ipsam Ecclesiam Clodiensem per Nos promovendam, eique præficiendam, initium capere debere.

Venetorum pietas excitatur ad Catholicam Religionem de more defendendam.

§. 5. Porrò minùs justam opinionem habere videremur de egregia ipsius Reipublicæ pietate & orthodoxia, deque perpetuo ejusdem studio erga Sanctam Apostolicam Sedem, si iteratis hortationibus etiam, atque etiam ipsi commendaremus assiduam, quam semper præstitit, vigilantiam adversus insidias, & attentata Græcorum schismaticorum Dalmatiæ Regionibus imminenti. Attamen, ut aliquam hujus rei mentionem faceremus, duæ Nos gravissimæ cause coegerunt; una nimirum ex Officii Nostri debito petita, quo scilicet pro tuenda Sanctæ Religionis nostræ integritate vitam & sanguinem profunderè tenemur; Altera verò ex insigni ipsius Reipublicæ laude desumpta, cui jam usque a septimo Ecclesiæ sæculo Prædecessor Noster Honorius Papa, propter illius constantem cum Romana Ecclesia conjunctionem, invictamque a schismaticis averfionem, præclarum Christianissimæ Reipublicæ nomen attribuit.

Item ad consulendum statui valde misero eorumdem Ecclesiarum.

§. 6. Supervacaneum præterea videri potest eidem Reipublicæ ob oculos ponere satis notum miserie statum, ad quem vel omnes, vel saltem duæ ex tribus prædictis Cathedralibus Ecclesiis redactæ conspiciuntur; Siquidem non sine fundamento sperare licet, idonea ipsis auxilia a publica liberalitate, opportunis temporibus præstanda fore, quibus necessariæ earundem Præsulum sustentationi ac dignitati, ut par est, consulatur; Quam perspicua scriptorum monumenta testentur, quantum ab antiquis ipsius Reipublicæ Patribus, instante San. mem. Gregorio Papa VII. Prædecessore Nostro, præstitum fuerit in beneficium Patriarchalis Venetiarum Ecclesiæ, ad deplorandam paupertatis conditionem antea redactæ.

Denique iis, qui in electionibus nominandorum suffragari erunt, Canonice sanctiones in memoriam revocantur.

§. 7. Hoc demum, pro Apostolici ministerii Nostri Officio, omnibus & singulis, qui in electionibus personarum ad easdem Ecclesias quandocumque vacantes pro tempore nominandarum, suffragium ferre debebunt, studiosissimè commendatum volumus, ut Sacrosancti Tridentini Concilii monitum, & respectivè præceptum præ oculis habeant, quod in *sess. 24. de Reformat. cap. 1.* sequentibus verbis expressum legitur: *Omnes verò & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quocumque jus quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam præstent, hortatur & monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam, & populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes,*

mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.

Clausula de perpetuo Indulti vigore.

§. 8. Præsentes autem litteras, & in eis contenta hujusmodi nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, aut nullitatis vito, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, seu substantiali, aut solemnitate defectu impugnari, retractari, aut ad terminos juris reduci, seu illis ex quavis causa derogari posse, sed semper firmas, validas, & efficaces existere & fore, suoque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, eisdemque Duci & Reipublicæ perpetuo suffragari; sicque & non aliter per quoscumque Judices, & Commissarios, quavis auctoritate fungentes, etiam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac ipsamet Consistorium, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari & definiti debere volumus & decernimus; irritum quoque & inane quidquam secus super his a quocumque auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogationes generales & speciales.

§. 9. Non obstantibus Apostolicis, ac quibusvis reservatoriis, & revocatoriis, aliisque Cancellariæ Apostolicæ regulis, & clausulis editis, & edendis, nec non universalium, Provincialium, ac Synodalium Conciliorum, generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, nec non dictarum Torcellanæ, Caprularum, & Clodienfis Ecclesiarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, Privilegiis quoque, Indultis, & Litteris Apostolicis eisdem Ecclesiis, eorumque Capitulis, & Clericis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis quomodolibet concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innovatis; quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & individua mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti essent, præsentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Sanctio.

§. 10. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostre absolutionis, confirmationis, innovationis, concessionis, indulti, hortationis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursum.

Ut Congregatio spectabilis profectus sit.

Datum in Arce Gandulsi Albanen. Diocesis Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quinquagesimo tertio, Idibus Junii, Pontificatus Nostri Anno Tertiodecimo.

Dat. die 13. Junii 1753. Pont. XIII.

Pro D. Cardinali Passioneo
J. Florius Substit.

J. Datarius.

VISA
De Curia J. C. Boschi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Metho-